Stoiński Angeli: Primitiae maturescentium philosophicarum frugum i. e. Conclusiones ex Philosophia rationali.

PRIMITIÆ
Matureſcentium Philoſophicarum
FRVGVM,
Magno gratitudinis & filialis obſeruantiæ
argumento
Ad ARAS Sinus Paterni
ILLUSTRI ac MAGNIFICO DOMINO,
D. FRANCISCO
DE STOIĘSZYN
STOINSKI,
IVDICI TERRESTRI LVBLINē:
NEC NON
Iudiciorum Tribunalitiorum Lublinenſium
PERPETVO ASSESSORI,
CONSECRATÆ,
PER
P. F. ANGELVM STOINSKI,
S. Theol: Bacc: nec non Philoſophiæ in Studio Formali Cracouenſi Ordinis Carmelitarum Profeſſorem.
Anno Dni M. DC. LXXX. Menſe Februario Die 18

CRACOVIÆ, TYPIS VNIVERSITATIS.

IN STEMMA
Gentilitium Domûs
STOINSCIANÆ.



In Tuo dum portas tripenne Stemmate Scutum
Dulces pro Patria, ſignas excubias.
Aſt uacuum ſi Campum in Campo dicere velis;
Non, non: quin potiùs, gloria complet eum.

ILLVSTRI
AC
MAGNIFICO DOMINO,
D. FRANCISCO
De Stoięszyn
STOINSKI,
IVDICI TERRESTRI
LVBLINENSI,
PARENTI ac BENEFACTORI
MVNIFICENTISSIMO.

Perennem Felicitatem.

DVdum iam suauissima Filialis in Patrem gratitudinis necessitas meum ad id sollicitauit animum, vt inter angustos secreti cordis limites latitantem affectum publico tandem comprobarem testimonio; nisi præsaga opportunioris occasionis spes meos toties elusisset conatus ILLVSTRIS ac MAGNIFICE DOMINE PARENS. BENEFACTOR MVNIFICENTISSIME: *Sed non vana ta-*

na tamen fuère præsagia, illuxit tandem tale tempus, sanxerunt sidera talem diem, quando & impatientem desideriorum meorum ábrumpere moram, & veloci passu ad Tui venerationem mihi accurrere licuit. Non inconsulto prorsus has Primitias Maturescentis Philosophicæ Frugis Tuo Nomini litandas hucusq; protraxi. Enimuerò si Maturitatis indagas circumstantiam? studens eram, immaturos fructus maturæ virtuti Tuæ consecrare indignum duxi: Si Primitiaturæ dignitatem obseruas? & hæc omni omninò iure Tibi debebatur; quid enim non debeat tot beneficijs lacessitus animus? Cum id ipsum vel cæca in sua caligine perspexerit gentilitas; quando Planetarum Principi, frugum dicabat Primitias: non alio sanè edocta fine, nisi vt pia æmulatione, & reciproco beneficia pensaret affectu. Primus iam es in STOINSCIANO *Polo Planeta, abundè beneuolentiæ Tuæ in omnia sidera effundens lumina, quidni ergo minimum huius Poli sidus, tot in particulari prouocatum beneficijs, primam Lecturæ suæ non ferat frugem. Fero, & in Ara Paterni sinus depono victimandam. Tuum erit ignem Paternæ beneuolentiæ apponere, meum, escam filialis obseruantiæ nunquam retrahendam ministrare.*

Illustris ac Magnificæ Dominationis Vestræ

Humillimus Filius,

Fr. Angelus Stoinski S. Th: Bac.
Ordinis Carmelitarum.

CONCLVSIONES
EX PHILOSOPHIA RATIONALI.

I.

CVm Logicam artificialem teneamus esse verè & propriè Scientiam, pro Obiectoq; eius formali, & adæquato, statuamus Ens rationis directiuum trium mentis operationum; hinc fit, ipsam optimè definiri: Scientiam Entis Rationis directiui trium mentis operationum.

II.

COmmunis illius diuisio in Docentem, & Vtentem, etiam nobis placet, non tamen propterea volumus ipsam diuidere in duos habitus realiter distinctos, sed esse vnicum realiter formaliter habitum, ad hæc duo munera docendi, & vtendi, se extendentem; tenemus.

III.

IN partitione illius in Speculatiuam partim, & partim practicam, aliquorum Salomonis iudicio vtentium; & aliorum in simplicitate illius eminentialiter adunantium rationem practici simul & speculatiui, sententias non sequimur: Sed totam & simpliciter Speculatiuam defendimus.

IV.

NEcessitatem illius tantam adstruimus, vt nulla Scientia in statu perfecto haberi possit absque præuia possessione Logicæ; licet sine ministerio ipsius, in statu imperfecto aliquando habeatur ope solius naturalis Logicæ: Vnde consequenter efficientiam Demonstrationum, etiam in Materijs aliarum Scientiarum illi soli tribuimus.

V.

VNiuersale quod est vnum respiciens multa, non tantùm in vocibus, & conceptibus, sed etiam in naturis realibus fundari tenemus; ita tamen, vt has nolimus esse fundamenta Vniuersalitatis, vt ficté per Platonicos separatas à suis singularibus, sed vt existentes in ipsis singularibus.

VI.

VNiuersalitatem, [vt potè formam constituentem Vniuersale in ratione talis formaliter] nolumus dari à parte rei, sed solùm per operationem intellectûs comparantis simpliciter naturam præcisam à singularibus, tanquam superiorem ad sua inferiora.

VII.

VNiuersale Logicum in quinque species adæquatè diuidimus, nempè in Genus, Speciem, Differentiam, Proprium, & Accidens: ad quas Vniuersale in communi habere se vt Genus dicimus; vnde consequenter prædictam diuisionem Generis in species vocamus.

VIII.

GEnus primum Prædicabile sumptum in Concreto cum communi definimus: Vnum aptum inesse multis specie differentibus, & prædicari de illis in quid incompletè; cui quidem definitioni pro principali definito, secundam intentionem Genereitatis, vt tamen connotantem naturam assignamus.

IX.

TOtalitatem potentialem in Genere ad prædicandum de suis speciebus requirimus. Insuper negamus perfectionem illius, etiam metaphycè sumpti, vnica tantum subsistente specie, posse consistere saluam.

X.

DIfferentiam definimus: Vnum aptum inesse multis, & prædicari de illis in quale quid incompletè. Diuisionem illius in Communem, Propriam, & Proprijssimam, esse tantùm analogi in sua analogata dicimus: In ratione verò Vniuersalis Logici per respectum ad indiuidua, non autem per respectum ad speciem illam constituimus.

XI.

SPeciem definimus: Vnum aptum inesse multis numero differentibus, & prædicari de illis in quid completè. Quatenùs subijcibilem Generi, nolumus esse formalitet Vniuersalem, sed solùm quatenùs superiorem ad Indiuidua.

XII.

NAturam vnicum tantùm habentem indiuiduum, adhuc perfectè specificam dici posse tenemus. Imò & Vniuersalitatem Logicam saltem ex modo nostro concipiendi tali naturæ [qualem supponimus Naturam Angelicam] posse attribui defendimus.

XIII.

PRopriumin quarto modo sumptum, nempè quod conuenit omni, soli, & semper, hoc quartum constituere Vniuersale asserimus; illud autem definimus: Vnum aptum inesse multis, & prædicari de illis, in quale necessariò. Terminum vniuersalitatis illius constitutiuum ponimus Indiuidua.

XIV.

XIV.

ACcidens vt quintum Prædicabile definimus: Vnum aptum inesse multis, & prædicari de illis in quale contingenter; quam definitionem illi alteri, Accidens est quod potest adesse, vel abesse salua rei essentiâ æquamus. Constituimus autem illud in Ratione vniuersalis propter respectum ad subiecta quæ denominat.

XV.

PRoprietates Vniuersalibus duas attribuimus, Perpetuitatem & Prædicabilitatem: Perpetuitatem ab existentia Vniuersalium longè arcemus; imò etiam ab essentia illorum positiuam Perpetuitatem remouemus, solam negatiuam impartiendo.

XVI.

PRædicabilitatem diuersimodè inter quinque Vniuersalia partimur: Nam Generi & Speciei in substantijs, illam in Concreto; in accidentibus verò in abstracto posse competere dicimus: Differentiæ autem, Proprio & Accidenti in Concreto.

XVII.

PRædicamentorum numerum denarium tenemus: inter quæ in primo loco Substantiam reponimus, pro formali illius constitutiuo positiuum quid, nempè subsistentiam per se, adstruendo. Terminis huius Prædicamenti Diuinam Essentiam claudi non posse defendimus: licet Christum Dominum quâ Hominem claudamus.

XVIII.

QVantitatem constituimus essentialiter in extensione partium in seipsis. Inter species ipsius proprias & rigorosas solùm reponimus Lineam, Superficiem, Corpus, & Numerum; Locum verò, Motum, Tempus & Orationem, vt improprias species ad hoc Prædicamentum reducimus.

XIX.

RElationem Prædicamentalem, cuius totum esse, est ad aliud se habere; realiter modaliter à suo fundamento distinguimus: pro termino autem illius siue Mutua sit, siue non Mutua, aliquid relatiuum ponimus, licet diuersimodè.

XX.

CAusam totalem & adæquatam vnitatis specificæ Relationum, volumus desumi ab vnitate specifica tàm fundamenti, quam termini: distinctionem verò specificam ab alterutrius diuersitate specifica. Vnitatem autem & distinctionem numericam in vnitate vel distinctione numerica solius subiecti fundari tenemus.

XXI.

XXI.

QValitatem, quæ est Accidens modificatiuum, seu dispositiuum substantiæ in seipsa, diuidimus in quatuor species: nempè, in Habitum & Dispositionem, Potentiam & impotentiam, Passionem & Patibilem qualitatem, Formam & Figuram.

XXII.

SEx reliqua Prædicamenta s. Actionem, Passionem, Vbi, Situm, Quando & Habitum nolumus esse puras denominationes extrinsecas; aut relationes extrinsecè aduenientes: sed entitates quasdam, seu formalitates intrinsecas & absolutas, quæ resultant in rebus cum essentiali dependentia ab aliquo extrinseco.

XXIII.

PRopositionum singularium Contradictoriarum de futuro contingenti, antecedenter ad determinationem Causæ primæ, neutram esse determinatè veram, vel falsam dicimus, sed vtramque indifferentem ad veritatem vel falsitatem.

XXIV.

ASsensus Præmissarum concurrit effectiuè ad assensum Conclusionis; vnde posito Assensu Præmissarum, intellectus necessitatur ad assensum Conclusionis, nedùm quoad specificationem, sed etiam quoad exercitium.

XXV.

IN eodem intellectu nolumus adunare simul de eodem obiecto scientiam & opinionem, tam quoad actus, quam quoad habitus istarum qualitatum. Et idem de Fide comparatiuè ad Scientiam tenemus.

Ad M. D. G. B. V. MARIÆ Honorem.

Disputabuntur Cracouiæ in Conuentu Arenario PP. Carmelitarum Regularis Obseruantiæ. Respondente Fre BERNARDINO MAŁKOWIC, *Philosophiæ Studente. Sub Assistentia eiusdem vt supra. Anno D.* 1680. *Mense Februario Die* 18 *Horis pomeridianis.*